COMMENTARIVM XIIX.

SCHEDIASMATA VARIA EPIGRAPHICA

RAYMVNDI GVARINII.



NEAPOLI

TYPIS SOCIETATIS PHILOMATHICAE

1843.

ANDREAE . EICHHOLZER
VIRO . INTEGERRIMO
ERVDITISS . RELIGIONIS
STVDIO . CVM . SANCTISSIMIS
COMPARANDO
REGINAE . N. A . CONFESS. SACR.

Te paucos inter studiis adplaudere nostris,
Novimus, Andrea, quod bene utrique siet.
Hinc novus iste tibi devotus sit labor. Vtri
Hoc melius nostrûm, porro alii videant.

RAYM. GVARINIVS . V . L . A.

Reficit animos, ac recreat varietas. Quintil. lib. 1. Cap. 12.

QVOD si nobis contigerit hisce σχεδιασμασι, quae lectorum iudicio permittere, est animus, bene erit. Sin minus: brevitate certe, cui ante omnia adsuevimus, fastidium fiet levius. Esto igitur

SCHEDIASMA I.

In aeneum dipondium cum titulo Osco.

Vbi *Bycia* quondam, quae deinde *Buca*, nunc *Punta della Penna*, agri histoniensis, de qua nonnulla alibi (1) sunt per nos delibata, aeneum dipondium paucis abhinc annis in lucem prodiit, quod post Musei Borbonici τῶν κειμηλιῶν incrementum minime ignobile accessit. Vnciis illud nostratibus sex aequale est, et conspicua in eo

(1) Comm. XIII. pag. 33.

est viri barbati ἡ πρότομη cum cirris duodecim ex aequo inter se distributis, vittaque circulari constrictis, qui a capite ad frontem, indeque ad collum usque dependent. Quo referenda sit πρότομη huiusmodi, quoque digitum typus eiusdem intendat, colligendum, nisi fallor, ex re ipsa, tituloque dipondio osce inscripto, cuius explanationi nostram interponere sententiam, sit quaecunque demum, propositum est. Titulus sic habet:

ϟIƎƆVI
ϟIƎꓷ8ƆVV

Litera est: *Iuveis-Luvfreis*. Nam litera ϟ, de qua hactenus anceps fui, fere non dubito, quin Oscis steterit pro sigmate mero. Quid nunc haec omnia sibi velint, paucis, more nostro, investigabimus.

Iuveis sine controversia est *Iovis*, et quidem casus recti, ut apud priscos latinos. *Iuveis* ab Oscis nuncupatus, quod hi litera O carebant. Quo in loco obiter insinuare lubet, quod nobis iamdudum persuasum est: *Iovem* nempe ita dictum, non a *iuvando*, ut vulgo creditum, sed ab Hebraeorum *Iehovah*, cuius vocis vestigia adhuc perennare apud Oceaniticarum insularum incolas, alibi ob-

servatum est (1). Ad haec : *Iupiter*, si vim vocis spectes, non *Iovis* ἁπλῶς est, sed *Iovis pater*; vox nimirum minime simplex, sed e duabus compacta, ut *Veiovis-parvus Iovis*, aut verius *malus Iovis*. Vid. Festum.

Luvfreis. Nominandi item casus, quod ex desinentia nominum oscorum frequentissima satis perspicuum. Sed ad vocis τῆν γενεσιν quod pertinet, pro composita habenda, secandaque bifariam est. Pars prior *luv*, quae integra oscis *luvcs*, graecis λυκη, romanis *luux*, contracte *lux*. Pars altera *freis*, sublataque metathesi, *feris*, graecis φέρων, latinis *ferens*, in participii potestatem. Ex quibus sine ulla ambage emergit vocis integrae significatio : *lucem ferens*, seu *lucifer*. Atqui ecce tibi *Iovem*, qui graecis λυκετιος, latinis *Lucetius*, *quasi lucis auctor*, *a luce*, ut advertit Festus, *quam praestare hominibus putabatur*. Hic alio nomine dictus *Diespiter*, idest *diei pater*.

His positis, quid nunc vetat, quominus dipondii τῆν προτομην barbatam ad *Iovem Lucetium* referamus? Cur autem staterae dipondio Iupiter *barbatus*, non *imberbis*, appictus? Nam et Iovem quoque *imberbem* in honore apud Ethnicos

---

(1) Lex. Osco-latin. pag. 72. et 73.

fuisse, compertum eruditis est. Talis *Iupiter Anxurus*, unde *Tarracina* dicta *Anxur*, quod ibi Iupiter Anxurus colebatur, sic nuncupatus, quasi ἀξ'υρος, *imberbis*. Sed staterae, quae symbolum iustitiae, aptior sine dubio typus Ζευς ὁ πωγωνειας, quam ἀγενειος. Cirri autem duodecim ex aequo inter se dispositi facile ad duodenarium unciarum numerum trahendi, quibus *pondo*, seu *libra* romana constituitur. Ita sane, quandoquidem *pondus*, et *statera*, sacro etiam testante eloquio, *iudicia Domini sunt* (1); et Iupiter ipse κάτ' ἀντονομασιαν aequus abs Ethnicis passim nominitatus. Iovis autem Lucetii typus idcirco staterae dipondio appositus, quod *lancium* examine rerum mercalium incerta pondera, et valor certa veluti in *luce* ponuntur, emptoribus iuxta ac venditoribus tutela. Ecquem latet praeterea, tributas ab Homero Iovi *lances*, quibus Hectoris, Achillisque fatum cernat?

---

(1) Parab. Cap. XVI.

Καὶ τότε δὴ χρυσεια πατηρ ετιταινε ταλαντα,
Εν̂ δ' ετιθει δυο κηρε τανηλεγεος θὰνατοιο:
Τῆν μὲν Αχιλληος, τῆν δ'Εκτορος ἱπποδαμοιο,
Ἑλκε δὲ μεσσα λάβων (1).

Quem more suo imitatus Vergilius noster *lances* item *duas* Iovi eidem in manus tradit pro Aeneae, Turnique definiendo duello:

Iupiter ipse duas aequato examine lances
Sustinet, et fata imponit diversa duorum,
Quem damnet labor, et quo vergat pondere
letum (2).

Fatorum quippe lege, *filius mortis* habebatur, cuius pondere pars altera *lancis* inferne deprimebatur. Quod ideo adnotatum volumus, ut ne cui fortasse fucum faciant verba illa Chrysostomi, qui de Paulli virtutibus ἐμφατικῶς loquens ait: *si totum contra te aliquis sigillatim iustorum appendat chorum, inveniet trutinam virtutum ponderibus a tua parte depressum* (3). Virtutum

---

(1) Iliad. X. v. 209. et seqq.
(2) Aeneid. VI. v. 775. et seqq.
(3) Hom. VIII. de laud. Paulli.

siquidem aestimationem hic Chrysostomus facit ex communi trutinarum usu, quo merces quanto ponderosiores, tanto carius aestimantur. Sed ad rem nostram redeamus.

Epigrammatis osci haec verbum verbo sententia omnis.

IOVIS

LVCETIVS

Quae satis pro tituli huius explanatione haberi possunt.

Schediasma II.

In argenteum Daunorum amuletum literatum.

Cum adhuc in his essemus, ecce ex inopinato argenteum amuletum Daunorum literatum, τῶν φάλλῶν sine haesitatione censui adnumerandum. Quo de genere abs eruditis non copiose dumtaxat, sed fortasse curiosius etiam disputatum, quam ut ferre honestae aures sustineant. Nos lubrico huic argumento tantum insistemus, quantum satis pro rationibus Lexici nostri Osco-latini, cui excitando, promovendoque operam nostram qualemcumque iam dudum collocavimus.

Amuletum in agro nuper deprehensum est, qui Canusiam interiacet, ac Minervinum, quae Daunorum oppida notissima. Parte sui antica Priapi refert τὸ τορευμα satis attritum, unde constat, frequenti illud in usu fuisse apud ethnicas mulieres, artificemque propterea illius ethnicum hominem extitisse. Forma eiusdem elliptica est, cuius diameter maior pollici fere uni aequalis est cum dimidio, minor autem pollici uni, eoque minus. Priapi ἡ ἀναγλυφη speciem exhibet connitentis cum manu utraque occipiti adplicita, quarum cubiti genibus innituntur. Conspicuum superne est foramen, quo suspendi pectori posset ad instar bullae.

A parte foraminis laeva sic: ΛΩ = λῶ. Vox mihi integra est, quam latine reddo: *volo*, turpemque subindicat Priapi voluntatem, cui statim e vestigio a parte dexteriore interrogatio subnectitur in hunc modum: λῷς = *vis*? Sic enim fortasse restituendae literae partis dexterioris, quo nescio casu, quasi penitus evanidae. Sed nihil de hoc affirmate dixerim, etsi muliebris huius voluntatis excitandae ratio manifesta pateat ex amuleti parte aversa literata, characteribus item et prominentibus, et sane elegantibus, uti ex subiecto schemate.

VTΦ

Ǝ

ΠΔИ

Lege ὑλικῶς: φυλ-ενδω. Scriptura a dextra ad laevam procedit, quod secus factum vides in parte anteriore. Cur ita? an quod promiscua ea tempestate fuerat utraque scribendi consuetudo? an in ethnico amuleto arcanae aliquid superstitionis latet in duplici hoc scribendi modo? In rebus huiusmodi nihil profecto ἀπιστον. Sed veri fortasse similius, sic de industria conformatam ab artifice partem amuleti aversam, ut si quando libitum foret, sigilli quoque vice fungeretur. Sed quidquid huius rei sit, characteres omnes et graeci sunt, et archaici, et oppido elegantes. Hoc posterius nonnullis τῆς νοθειας suspicionem ingessit, quod ex adverso γνησιοθητος argumento esse, oportuerat. Cum enim amuletum omne, quaque sui parte, sua non careat elegantia, eccur hac in parte sui literata negligenda ab artifice fuerat? Characteres porro archaismum redolere, patet maseste 1. ex litera Φ, quae exhibetur sine linea transversa. 2. ex litera Λ, quae parum distat a litera V, crure eius sinistro paullum imminuto. 3. demum

ex forma τοῦ Ω, quae est Ω. Ad rem nunc quod attinet, aio, titulum, etsi graecis delineatum characteribus, osce nihilominus incedere. *Hui*! audio te submurmurare: oscum epigramma graecis delineatum formis! Quidni?

An non Dauni medii incolebant Graecos inter, atque Samnites? atqui licuit Oscis osce scribere romanorum characteribus, quod evidentissime constat cum ex *Aere Castrano de re macellaria* (1), tum ex *Aere Rapinense* de controversia Maruccinorum pascuaria (2). Cur igitur non et Daunis licuit, osce interdum scribere graecanicis literis? Sed plusquam satis in tituli cortice. Quid nunc sub cortice lateat, operosius inquirendum: quod antequam adgrediamur, quaedam in mentem sunt revocanda, quae fusius alibi, et prolixius sunt inculcata.

Italiae universae cum Graecia unum initio fuisse sermonem ab Oriente suis cum advenis traductum, qui deinde pro caeli temperie, regionumque diversitate, aliisque de causis, ut usuvenire solet, sensim sine sensu in alias, atque alias abiit dialectos, cognatas omnes inter se. Quod nisi

---

(1) In Comm. V. excurs. critic.

(2) Comm. XX. *Nupera quaedam osca.*

praeconceptum animo habuissent Cloatius Verrius(1), Varro, Verrius Flaccus, Nonius, Festus, A. Gellius, quique de linguae latinae originibus tractarunt, cur non ad Celtas, Germanos, Numidas, Phoenicios, aut alios quoscunque provocarunt, sed ad Graecos, Sabinos, Vmbros, Oscos, Volscentes, Marsos, ut nihil de Graecis dicam? Nonne Latinis, Oscisque voces plurimae communes, ut *multa* ex gr. et *mantisa*, et *solla* pro *tota*, unde facile *solidum* derivatum, et qua uti Lucilius minime dedignatur?

Svasa (2) *quoque omnino dirimit non* SOLLA *dipondi.*

Sed ad haec reponet quis: pauca haec eo consilio aliunde corrasa de industria, ut hoc ipso innotesceret, ea peregrinae, non romanae originis esse. Quibus ita occurrimus.

Adeo-ne pauca?. atqui quanto plura didicissemus, si veterum scriptorum omnium lucubrationes ad nos pervenissent? quid si non imminutae, interpolataeque ad calamitatem usque, sed

(1) Noct. Attic. Lib. XII. Cap. 12.
(2) De voce *svasum* vid. Verr. Flacc. pag. 497

integrae? Quid si non tanta laboraremus oscarum inscriptionum in primis penuria? Et tamen in uno Cippo Osco-Abellano, cui adde Aes mutilum *Castranum* cum plebiscito *Rapinensi de re macellaria*, ut missas faciam voces manifestarie graecas, quales, quantasque voces non incurrimus puras putasque latinas, immò verius Oscorum, Romanorumque communes? Nonne tales: *actud* pro *actu*, *dolud* pro *dolo*, *malom* pro *malum*, *altrei* pro *alteri*, *ipsipi* pro *ipsi*, *vestiri* pro *vestri*, *carneis* pro *carnes*, *cadeis* pro *cadis*, *senateis* pro *senatus*, *atrod* pro *atro*, *contrud* pro *contra*, *comoni* pro *communi*, *sipus* pro *callidus*, *licitud* pro *liceto*, *estud* pro *esto*, *factud* pro *facto*, *facus* pro *factus*, *fefacust* pro *factum* est, *prufatted* pro *probavit*, *isdum* pro *idem*, *anget* pro *aget*, *ocriis* pro *montibus abruptis*, *totai* pro *totae*, *ovias* pro *oves*, *perum* pro *per*? et *tiurrim* pro *turrim*, et *eitiuva* pro *aedicula*, et *eitiuvad* pro *aedificavit*, et *aisce ligis* pro *hisce legibus*, et *anter* pro *ante*, et *riigiia* pro *basilica*, et *tristamentud* pro *testamento*, et *pudist* pro *pudet*, et *im*, *am* pro *eum*, *eam*, et *exac*, *exaic*, *nam*, *fortis*, *dat*, *patriis*, *thesaurei*, *endo*, *treis*, *urust* ab inusitato *uruo*, et quae non vacat singula ulterius persequi, de qui-

bus consule, si lubet, alibi (1) a nobis dicta? Quae etsi vera sint, nihilominus fatendum, quod res est: in dialectis huiusmodi perdifficilem adhuc perseverare primae vocum originationis investigationem. Nam si id negotium facessit in ipsis veterum Latinorum locutionibus; quanto hoc maius in dialectorum desuetarum vocibus? *Latine* enim *loqui*, ut monet Verrius Flaccus, *a Latio dictum est, quae locutio adeo versa est, ut vix ulla pars eius maneat innoxia.* Sic enim recte in margine correctum, quod in quibusdam MSS. erat *in notitia*. His positis, haec nobis via tutior habita semper, quam non abs re heic iterum inculcare: in linguis, dialectisve notis a vocibus notae significationis ad res latentes facile, tuteque procedimus: at in desuetis ex adverso, abditisque a rebus potissimum notis ad vocabulorum incertae potestatis intelligentiam caute, prudenterque incedendum. Cuius lemmatis quanta sit vis, atque utilitas, paucis in re praesenti experiamur.

De Priapi amuleto heic agi, meminerimus. Ergo huc referenda tituli verba insolentia. At ecce

---

(1) Cipp. Osco-abellan. Com. V. XX. et Fasti IIviralì an. 1841.

nobis in ipsa eius prima vocula nucleus sine nucleo, ut ita dicam, patefactus. *Fyl* enim osce erit, quod latinis *filius*, vulgo *figlio*, graecis ὑιος, Hispanis *hijo*, Gallis *fils*, et nostratium bene multis *fijo*. Vocis fundus φύω, εις = *gigno-is*. Nec maius facessit negotium vox altera *endo*, quae priscis Latinis perfamiliaris. Vox huiusmodi in compositione fuit *inter*, ut *endotercisus — intercisus*; *endoitium* = *initium*. At seorsum fuit vel absolute *in*, ut *endo manu* = *in manu*; *endo procinctu* = *in procinctu* (1): vel *in hoc*, quod Graecis est ἐν τῷ. Et quando de praepositione *en* incidit sermo, quae eadem Oscis cum Graecis, non piget, quae de voce *emapui* alio loco disseruimus, hic accuratius statuere. Vocem deduximus a themate ἄπυω, vel επύω, quod est *clamo*, unde ηπυη = *clamor*. *Emapui* igitur, nominandi casus pluralis, proprie erit *inclamantes*. Hinc proletariae illae vulgi nostri voces *ammopire-vocem amittere*, et *ammopito*, quem nempe *vox defecit*, quarum radices *am* pro α, particula privativa, et οΨ, *vox*, unde ελλοΨ = *mutus*.

---

(1) Lucret. v. 1094.

Sed nescio, quo casu in tantum processit oratio. Quippe

Vrceus institui coepit, cur amphora prodit?

Vela itaque contrahamus, oscique epigrammatis sententia omnis Osce, Graece, Latine verbum verbo reddatur :

I.

Osce.

ᛉV..o....

———

ᒍI8

Ǝ

VЯH

Si quis forte roget, cur ΛΩ osce reddimus LV, sic respondeo. 1. Quod oscis pro O erat V. 2, quod literae huius adhuc Daunorum vulgus est tenacissimus, cui *Antonius* est *Antuonio*, *stomachus stuomaco*, ne singula persequar.

II.	III.
Graece	Latine.
ΛΩΙ....λῶις ;	VOLO...vis?
ΥΙΕΣ	LIBERI
EN	IN
ΤΩ	HOC

Digna prorsus Priapi sententia, ethnicaeque superstitionis palato accomodatissima. Si quis vocem φυλ breviatam velit pro φυλακη, erit *custodia*, vel *tutela in hoc*; nec sententia abhorret ab amuleti subiecta re. Sed hoc posito, nexus non ita facilis adparet inter utramque eius partem literatam, antîcam aio, et postîcam.

Pauca nunc in uberiorem τῆς amuleti γνησιοθῆτος confirmationem, finemque faciamus:

Finge paullisper, amuleti artificem, non ethnicum extitisse hominem, sed christianum. Cui tandem ille fraude hac sua fucum fecisset? nempe eruditulo alicui talium cupediarum sectatori. Verum ut hoc ei pro voto suo cederet, amuletum vix absolutum infodiendum alicubi ad longum tempus fuerat, quo demum novitatts facie exuta

vetustatis speciem, quam prae se fert, ementiretur. Sed eccui demum haec omnia profutura, si quid tandem forent profutura? nemini profecto minus, quam ipsi fraudis opifici. Pro veteris sane nummi alicuius suppositione multiplices veteratoris animo occurrunt illiciae, quae vel mediocriter eruditis notissimae; quarum nulla similis praesumi potest in eo genere, in quo nunc versamur. Sed taedet iam in his refellendis serio immorari. Ipsum per se, et pro se, amuletum, cui illud intueri oculis, manibusque contrectare, liceat, testimonium dicat, cui neminem confidimus fore refragaturum.

Schediasma III.

De voce Castrod *aeris Castrani.*

De voce hac, quando in eam primo incidimus, sic olim (1): *probabile, quod nunc* OPPIDVM, *id fuisse quondam* CASTRVM *nuncupatum. Meminit Frontinus agri cuiusdam Castrani, lege Augustaea assignati* (2). Quorum nihil est, quod

(1) Comm. V. pag. 138. an. 1820.

(2) Goes. pag. 118. et 121.

poeniteat. Sed quando in mentem venit Vergiliani huius versiculi (1)

Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Co-
(ramque ,

placet in rem hanc curiosius per otium inquirere.

De *Castro* hoc *Inui* Vergiliano sic adnotator Delphini: *oppidulum Rutulorum in litore Tyrrheni maris , nunc dirutum ; ei dicatum Deo, qui Graecis* Παν , *Latinis Faunus, Fatuus, et Inuus dictus est ab ineundo , quod animalia passim iniret.* Qua in adnotatione unum hoc non placet, quod *Castrum Inui* Vergilianae tempestatis , aut certe temporum anteactorum , *oppiduli Rutulorum* sit nomine traductum. Atqui Castrum Inui a Poeta confertur cum nobilioribus Italiae oppidis, quorum spe , ac pollicitatione ab Anchise erigitur , et confirmatur Aeneae animus ad duriora quaevis deinceps toleranda. Sic enim ille suum apud Inferos Aeneam adfatur :

(1) Aen. Lib. VI. v. 775.

Hi tibi Nomentum , Gabios , urbemque Fi-
(denam;
Hi Collatinas imponent montibus arces,
Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Co-
(ramque.
Haec tum nomina erunt. Nunc sunt sine no-
(mine terrae.

Castrum hoc Inui , ut a Servio discimus, dictum postea *Castrum-novum* , voce *Inui* , usu populari , ut puto , cum *novo* commutata propter soni adfinitatem. Ita nunc *Terracina* , vel *Tarracina*, quae antiquitus Ταραχινη, et Ταρραχινη, aliaque bene multa eiusdem exempli. *Castrum* porro hoc ideo *Inui* additamento connotatum non dubites, ut ab aliis *Oppidis* cognominibus secerneretur. *Scio* , obiectum Vergilio fuisse, quod *nullum in commemorandis regionibus ordinem servat , sed locorum seriem saltibus lacerat* (1). Non tamen *Castrum* hoc *Inui* temere cum *Castro* aeris Lucani confundendum, cui sedes dubio procul in Lucania quaerenda est, et quo respicere non dubito agrum illum Castranum a Fron-

(1) Macrob. Saturn. Lib. V. Cap. 15.

tino semel iterumque insinuatum, assignatumque lege Augustaea. *Castrum* hoc Lucanorum, *Oppidum* deinde nuncupatum, medium prope extat Potentiam inter, Acherusiamque, non procul a Venusia. Locus plane mediterraneus, veterumque monumentorum fama insignis. Nam praeter *Aes Castranum* in eo detectum iam ab anno 1793, inque regium Museum invectum (1), anno item 1834 ad montis Oppidensis radices marmor pretii quantivis fuit detectum, quod anno proxime insequenti pro viribus expositum (2) publici iuris primi fecimus. Praeter caetera, ἐν τῷ κειμηλίῳ luculenta notitia est Collegii amplissimi, *Silvano* sacri, votique splendidissimi a L. Domitio Phaone suscepti pro salute Domitiani Augusti.

Castro, ut ex aere Lucano colligimus, duo fuere Pagi adiuncti, minimeque ignobiles, *Bansa* videlicet, et *Sansa*. Distat prior ab eo, quod nunc *Oppidum* dicitur, M. P. fere VI. suumque ipsi constat adhuc vetus nomen. Noti *Bantini saltus* ab Horatio celebrati, *Bantiniqne populi* Pliniani. Sed nobilior Livii de eo locus, qui talis est (3):

---

(1) Vid. Comm. IV. et V. cum critic. in ipsum excurs. an. 1841.

(2) Var. mon. con crit. osserv.

(3) Lib. XXVII. Cap. 25.

in Apuliam a Bruttiis reditum , et inter Venusiam, Bantiamque, minus trium millium passuum intervallo, Consules binis castris consederunt.

Cum *Sansae* nomine minus prospere actum. Nam consecutis temporibus a prisca sui appellatione aliquantisper deflexit. *Sansam* enim eo prope constitisse arbitramur, ubi nunc *Anzi*, M. P. fere XVIII. ab Oppido dissita, e regione *Bansae*. Locus veterum Figlinarum gloria iam diu percelebris. Vt igitur eo demum redeat oratio, unde profecta est, de hoc Lucanorum *Castro* intelligi oportet CASTROD illud aeris Lucani, cuius ager non *Castrensis*, sed *Castranus* dicendus, ut Frontini locus initio memoratus satis insinuare videtur.

Minutiora haec, fortasse inquies. Esto : sed non idcirco negligenda. *Castranum* namque ea unice respicit, quae *Castrum* oppidum utcumque attinent, ut *Castranus ager*, *Castrana balinea*, *respublica Castrana*. At *castrense* ex adverso intra *rationis castrensis* fines concluditur, ut *verbum castrense*, *castrense peculium*, *castrensis corona*, *testamentum castrense*, *triumphus castrensis*, aliaque huiusmodi. Quam bene ad

rem occurrit illud A. Gellii (1): *quaerere nonnumquam apud me metipsum soleo res eiusmodi, parvas quidem, minutasque, et hominibus non bene eruditis aspernabiles, sed ad veterum scripta penitus noscenda, et ad scientiam linguae latinae cum primis necessarias.*

Erit fortasse, qui sciscitabitur, quo potissimum tempore *Castri* nomen cum *Oppido* fuerit commutatum. Cui interrogationi satis fieri ex parte potest, integre, pleneque omnino non potest. Profecto *Castri* nomen constabat Augusti aetate, cuius iussu, Balbi de Provincia Picena catalogus est concinnatus, in quo *ager Castranus* diserte commemoratur. Ad haec: *aeris Castrani* pars altera literata tota est de Claudiana lege *in rem macellariam*. Quae si vera sunt, nominis huius continuatio protrahenda saltem est ad usque Claudii tempora. Si quis ultra scire desiderat, is Oedipum adeat.

Haec nova veluti παραλιπομενα subtexenda parti alteri *Tabulae Oppidensis*, quam meliori consilio *Castranam* dici malumus. Sed et parti priori aeris eiusdem, quam in confesso est, *de re vestiaria* omnem esse, nonnihil adiiciendum, id-

(1) Noct. Attic. Lib. XI. Cap. 3.

que non de nihilo. Quale istud, ais? plebiscitum nempe hocce non cives romanos universos indiscriminatim respexisse, sed eos dumtaxat, quos *iudiciis publicis* interesse, oportebat. Nec fateri pudet, quod nos hactenus fugerat, hoc tandem admonitos a viro docto Basileense, nostrique studiosissimo, cui gratias, ut par erat, egimus, et maximas porro aeternum habebimus.

SCHEDIASMA IV.

Nuperi quidam tituli exponuntur.

Meta. Oppidum florentissimum in litore maris. Ita nuncupatum, quod ibi fines constituti Stabiensis agri, et Surrentini. In Metano igitur agro recens effossum marmor literatum de sepulcralium genere, characterum elegantia plane conspicuum. Est autem huiusmodi.

D . M .
SABIDIVS . SER.
VIX . AN . XL . COSE
RVA . COIVGI . B . M .

Sabidia gens occurrit apud Gruterum (1). *Sabidium* hunc, etsi uno *servi* nomine contentum, pro *Liberto* habeo una cum coniuge, cuius nomen brevitatis studio, anne et modestiae? an utriusque simul? reticetur, cui et satis, *Conservam* se, sine alio, dicere.

Quod sequitur, prope viam Campanam Puteoli repertum, Camillus de Petra, vir humanissimus, Beryti Archiepiscopus, summique Pontificis apud Regem nostrum Nuntius, sui iuris fecit, et nobiscum amiciter communicavit. Tale autem est:

D . M .
TI . CAEPI . PON-
TICI
CAEPIA . ONESIME
VXOR . CONIVGI
BENE . MERENTI
ET . SIBI . SVISQ. POS
TERISQ . EORVM .

Caepius item hic cum *Caepia Onesime*, uxore sua, *Caepiorum* habendus libertus. Viri, cum servitutem serviret, nomen *Ponticus*, quod *Pon-*

---

(1) Pag. 650. n. 3.

ti oriundus erat, uxoris vero *Onesime*. Gens *Caepia* eadem mihi, quae Latinis *Cipia*, Oscis *Cipiis*.

Puteolani iterum agri titulus hic alter Classiarius, qui in lucem prodiit, tertius hic iam annus est, eoque amplius. Trieris *Victoria* in eo commemoratur, in qua C. Numisius Heraclida militavit annos XXIX, defunctusque est annorum LV. Militiae ergo nomen dedit, cum esset annorum XXVI. Tumulum ei appararunt Ammonius Ammonianus, sic cognominatus, quod Ammonii alterius, gentilis sui, adoptivus fuerat, cum coniuge sua Iulia Caelestina, qui ambo Numisii heredes. Sed et Ammonius Numisii quoque commanipularis fuit EX. EADEM, nempe *Triere Victoria*, ut pronum est subintelligere. Numisiorum porro Pompeis potissimum, locisque finitimis suboles uberrima. Titulum nunc in medium proferamus :

D . M.

C . NVMISIO. HE.r.A
CLIDAE . NAT . G. . . .
MANIP . III . VICTORIA
VIXIT . ANN . LV . MIL .
ANN . XXVIIII . AMMO
NIVS . AMMONIANVS
EX . EADEM . ET. IVLIA
CELESTINA . COIVX
h. EREDES . B . M . F.

Celestina. Sic quadratarii oscitantia pro *Caelestina*. Quod ideo dico, ut ne quis in animum sibi inducat, diphthongos syllabae producendae non semper indicia esse certissima. Sunt enimvero talia, et talia sunt perpetuo, si tamen bene sint collocata. Quod si aliud pro alio humanitus exciderit, habendae pro nihilo sine dubitatione sunt. Σφάλματα quippe, utpote quae a regula exorbitant, nullam sancire regulam valent. Quis enim, ut uno exemplo sim contentus, *Helenae* primam syllabam corripiendam negarit, quod in marmore quodam Saepinate est *Haelenae* pro *Helenae* (1)?

(1) Comm. XVII. pag. 47.

Ecce nunc elogium infantis funerarium, nullam redolens ethnicam superstitionem. Nuper illud detectum inter fines oppidi *Fontis rosei*, quod olim agri aeclanensis pars. Refero ad annum aerae nostrae 482, quo tempore Consul Vir clarissimus processit *Severinus*, si recte per nos suppetiae sunt marmori allatae, qua parte sui iacturam fecit. Ecce illud tibi, quale ad nos delatum ab homine erudito Angelo Beatrice:



HIC . REQVIESCIT
IN SOMNO . PACIS
GAVDIOSVS . QVI
vi . XIT . PL . M. ANNVS
IIII . DP . EIVS . VISE
Flavio . *Se*VERINO . VCC.

VISE versus penultimi sic distinguendum videtur V. I. SE. idest *V. Id. Septembr.* At si cui placeat VI. Sept. hoc est: die VI. Septembris, liberum illi esto iudicium suum. DP v. 5 est DEP. L.: *Depositio.*

Cur nunc, sciscitaberis, marmoris aetatem ad an. Ch. 482 retulimus, quo tempore Consul

erat *Flavius Severinus?* Nam in Fastis plures occurrunt *Severini* consulari dignitate insignes. Occurrit ad an. 487. Anicius Manlius *Severinus* Boethius, consul occidentalis sine Collega. Occurrit ad an. 510. Anicius alter Manlius *Severinus* Boethius, consul occidentalis, cui a Iansonio non recte additur Consul Fl. Eutharicus, ut post Pagium adnotavit Hagenbuchius ratum non habemus. Occurrunt demum ad an. 522. Q. Aurelius Anicius Symmachus, et Anicius Manlius *Severinus* Boethius, Consul uterque Occidentalis, iidemque fratres. Et de biga hac postrema consulari nec aegre adduci possum, ut cogitem; idemque aio de *Severino Boethio* an. 510. Supersunt ergo *Severini* an. 482. et 510. In *Severinum* hunc an. 510 inclinaret animus, nisi unum obstaret, quod quanti sit, iudicent eruditi. In marmore nostro est: *Severino* V. C. sine alio additamento. Ergo de *Flavio Severino* an. 482. cogitandum potius, quam de *Severino Boethio* an. 487. Quamobrem ultimus tituli versiculus sic videtur restituendus:

Flavio Se. VERINO V. CC.

At in marmoris τῷ ἐκτυπῳ ad nos delato est: VCC. Et hoc erratum fortasse quadratarii, vel descriptoris, legendumque: V. C. Nam si de duobus consulibus res erat, dicendum fuerat non V. CC. sed VV. CC. At nihil his opus; absolvendusque omni culpa cum scalptore descriptor: VCC enim recte explicabuntur sic: *Viro clarissimo Consule.*

Quid, quod ciendis duorum Consulum nominibus locus minime suppetebat in angusto versiculi spatio? quid, quod in monumentis eiusmodi unum fere cieri Consulem, eumque Occidentalem, consuevisse, innumeris docemur exemplis? Tantus in parvis labor! quae Momus, quia ignorat, blasphemet, licet, eumqne sibi parcere monemus, ne fortasse sudet. Nos interea ad alia pergamus.

De Amphitheatri Aeclanensis ruderibus sane magnificentissimi insigne nuper prodiit monumentum a Nonio Vero, Corr. Apuliae, Calabriaeque, positum Constantino Magno, quod tale est:

F. ORTISSIMO . AC
PIISSIMO . IMP.
D . N . CONSTANTINO
MAX . P . F . INVICTO
AVG.
NONIVS . VERVS . V . C .
CORR . APVL . ET . CALAB .
D . N . M . Q . EIVS

Lin. 4. sic reddenda : *Maximo. Pontifici. Felici.* Monumentum hoc puto statuam fuisse elegangantissimam, cuius bustum paucis ante annis in eodem loco repertum sui iuris fecit Fridericus Cassittus V. C. quem penes extat fragmentum hoc characteribus exaratum, quorum altitudo pollicibus novem aequalis :

. . . . . . NTINA
. . . VA . PEQVN .

Quid hoc? Mulier primaria, cuius nomen latet, *Repentina* fortasse agnominata, opus exegit *sua pecunia*, quod memoriae tradendum voluit. In tegulo sic ; characteribus tamen inversis, ut in sigillis :

HERCVLI

Adspirata innexa est literae E.

Sequens fragmentum votivum Christianum prostabat prope Amphiteatrum:

. . . VS . VOTVM . COMPLEVERVNT . A ✝ Ω

In cippo alio item votivo sic a parte anteriori:

DEO
N . ARRIVS . DEXTER
M. . . A . NYMPHODOTI. L . R .
V. S. L. M.

A parte autem aversa sic:

DEO
N. A. D.
M. N. L. R.
V. S. L. M.

Quis nunc *Deus* iste anonymus, cui Arrius Dexter cum Liberta Nymphodoti votum solvit libens merito? Επιχωριον, seu patrium, intellige Aecla-

nensium, quem fas non erat nominare. Sic *Deae Bibracti*, sine alio, ut caeteris parcam exemplis (1). Cippus inventus, ubi ad plura saecula delituit Corpus S. Prisci Confessoris. Locus hic innumeris consitum literatis frustulis, et sarcophagis, spem prae se fert ingentem effossionum, si quando placeat has adgredi: in eo enim positum Aeclani erat veluti meditullium. Ibi nunc a fundamentis excitata, et restituta est vetus haec aedicula in honorem B. Prisci, quam ipsi hoc titulo ornavimus:

Hic ubi corpus B. Prisci Conf.
Per saecula fere V. delituit,
Aedicula in honor. eiusdem,
Ineunte iam saec. XII. fuerat extructa:
Quam porro conlaps. vixque fama,
Ruderumq. notam reliquiis,
Raphael de Placido solo, et peq. sua
A fundamentis restitutam
Decenter ornavit
An. 1843. Kal. Dec.

---

(1) Vid. Hagenbuch. Ep. epigraph. p. 70.

Levius hoc , quod sequitur, sed tamen longe operosius:

D . M .
AECLA^V . GR
APH^V , AECLA
GRAP . FILIO
B . M . F .

Titulum ipsi adcuratissime exscripsimus, quem sic legendum, arbitramur :

D . M .
Aeclania Gr
apha Aeclanio
Grapho Filio
B . M . F.

Grapha nomen est *Aeclaniae*, cum servitutem serviret, quae libertatem adepta, *Aeclaniae* nomen sibi ab *Aeclano* vindicat. Plures Aeclanios Libertos aeclanenses alibi recitavimus (1). *Graphae* filius *Aeclanius Graphus* , nomine u-

(1) Novell. mon. eclan. facc. 25. Osservaz. sopra alcuni nuovi monum. fac. 10.

troque a matre mutuato. Patrem ergo ciere nequibat, et idcirco ventris conditionem sequitur.

Coronidis loco epigramma iucundissimum placet afferre, cuius exemplar Benevento ad nos transmissum si quis inspiciat, in Pharaonis somnia se incidisse, putet. Somniorum nihilominus arcana revelanda mysteria nullo territi labore suscepimus, susceptique laboris minime poenitet. Quae minoribus notata formis, ea nostra esse, sciat lector. Epigramma capite, vel cauda multatum est, quo loco mulieris defunctae nomen cum aetate, fortasse etiam et tumuli curatore, descripta esse, oportebat:

TV. QVI. SECVRA. SPATIA.*ri*.S. MENTE. VIATOR
ET. NOSTRIS. VOLTVS. E.*ri*.GIS. INFERIEIS
SI.QVAERIS.QVAE.SIM.CINIS.*e*.N.SVM.*rap*.TA.*fav*.ILL.*ac*
ANTE.OBITVS.TRISTEIS.*fle*.VE.*ram et orb*.A.VI.*ri*
CONIVGE.CVM.CARO.LO.*ng*.O.*di*.SCR.*imine.rerum*
CONCORDEI.SE. *mper*.BIXIMVS.INGENIO
NVNC.DATA.SVM.DI.*ti*.LONGVM.MANS *ura.per*.AE.*vom*
DEDVCTA.ET.*th*.AL.*amo.de*.BITA.Q.*uae.St*.YG.*io*.

Carmen vel sic aetate dignissimum Augustaea. Nova prorsus eiusdem conclusio, qua cum moeroris sensu exquisitissimo translata in rem fu-

nerariam sunt *dandi*, *deducendique* verba nuptialia auspicatissima.

Verum ecquid morae est, ut tertias heic curas nostras afferamus in vexatissimum Borgiani olim Musei metricum epigramma, quod a Piranesio primum V. C. minus prospere exscriptum Marinii viri summi ingenium torsit (1)? Non enim, qui talia lectoribus apponunt, his animus est, iustam illis caenam apparare, sed diversa potius afferre gulae oblectamenta, pro convivarum vario palato. Marmor hoc de Museo Borgiano in Borbonicum tralatum ipsi diu serioque consuluimus, et ex eius autographo sic demum statuendum videtur;

(1) Conf. *mon. var. con crit. osserv.* pag. 54.

DEBILIS. ALBVNEO. STETERAT. QV.*i*.LVRCIVS. AMN. *ei*
ARTICVLVM. MEDICIS. VT. TENVARET. AQVIS
DENTE. QVOD. HETRVSCI. TVRGEBAT. SAVCIVS. APRI
ET. RVSSELLANO. FONTE. SOLVTVS. ERAT
H. *hoc*. NACTI. BITAM. NERVI. TENVISQVE. CICATRIX
ET. CELER. A. SEPTO. CVRRERE. COEPIT. EQVS (*sic*)
DAT. TIBI. PRO. MERITIS. AEDEM. DE. MARMORE. DONVM
QVA. MEDIA. GAVDES. LYMFA. SVBIRE. VIAM.
TIBIRIS. ADVERSAS. DOMINVS. QVA. RESPICIT. AEDÈS
FRONTIBVS. ET. PICTIS. AELIA. VILLA. NITET.

Lurcius nomen fuisse *Equi* videtur, quem inter venandum ab *Apro* sauciatum, aquae in primis *Russellanae* sanitati restituerunt.

ADDENDA FAST. POMPEIOR. IIVIRALIB. AN. 1842.

De IIviratu L. Ceii Secundi, et L. Ceii Labeonis actum in Opere commemorato (1). Adde ex nuperis effossionibus hoc:

L. CEIVM
II. . VIR . OVF . D . R . P.

---

(1) Pag 46. et 115. et seq.

De Calventii *IIviratu* cum Sittio Magno vide (1) ibid. Adde nunc :

C . CALVENTIVM . SITTIVM
D . VIR . I . D . VBONI . VICVLA.

Subintellige ad finem : OVF. vel ROG. Titulus est rogatorius pro altero Calventii Duumviratu cum primo Sittii Magni. Rogationem faciunt *Vbonii*, et *Vicula*. Hoc posterius muliebre nomen est, quod nunc primum aures percelit. Mulieres pro Magistratibus Pompeianis rogare, exemplo non uno docemur. *Viculae* nomen nihilo minus nostras afficit aures, quam nomen *Sulioli* (2) virile, aliaque generis eiusdem, quae non vacat colligere. Idem de *Vbonia* gente dictum volumus, quam *Viboniam* mallem, a Grutero (3) recensitam, aut *Vmboniam* τῆς ἀναλογιας χαριν ab *umbone*. Sed nolo lectionem sollicitare, quam nobis exhibet Avellini, Collegae nostrûm amantissimi, manus oculatissima. Si quid in hoc erratum, tituli scriptori stet.

(1) Pag. 126.
(2) Pag. 136.
(3) Pag. XCV. n. 6.

SCHEDIASMA V.

QUAEDAM NOSTRA.

I.

Α Χ Ω.

Iosephi Palmae. nat. Sic. Ord. Carmel.
Hic
Cum supremo Ord. sui regimini
Praeesset, Abellinat. Episc. renuntiatus,
In ipso S. Visitationis primum
Suscepto negotio,
Contra omnium vota,
Frequenti diem clausit extremam
IV. Id. Oct. an. 1843.
Pontificatus sui mense quinto.
Vir pietate in Deum, misericordia in egen.
Doctrinae laude, animi magnitudine,
Cum praestantiss. comparandus.

2.

Ad eumdem.

Quo nostrae de te conceptae spes abiere ?
Quo tantae de te spes abiere , Pater ?
Tu nobis vix dum , Solis radiantis ad instar,
Exoreris , quem nox turbida praeierat :
Vix iter ingrederis , magni de more gigantis,
Cessas . . aeternumque occidis heu! miseris.
Te mage profuerat , numquam novisse, tui quos
Nunc desiderium , cordoliumque premit !
Nec modus hisce ullus, nisi te tibi denique Pastor
Excipiat similis. Nam tibi quando parem ,
Quaeve aetas tulerit ? .. Carmeli gloria, salve!
Heic , mortale quod est: Spiritus astra tenet.

3.

Dominicus de Hieronymo , Rochi Fil.
Patria Molinara , Eq. Ord. Franc. I.
A puero
In amoenior. literarum palaestra
Ea ingenii specimina exhibuit ,
Quae aequalibus invidiae ,
Provectiorib. admirationi essent.
Severiorib. post instructus disciplinis ,

Per annos octo ultra quinquaginta
Public. honorib. continenter functus.
A iudiciis demum Cur. Supremae Neapol.
Hoc in munere strenue obito
Ob. prid. Kal. Nov. an. 1842.
Vix. an. 85. M. I. Dies 27.

4.

Franc. Xaverio Gualterio, Dominici Filio,
Aquilano, patriae primum suae, deinde
Casertae Episcopo,
Eq. Magnae Crucis Franc. I.
Vir hic
Pietate, doctrinaq. insignis,
Veter. monumentor. usu in primis
Attritus,
Ipso ore, habituque corporis
Ad modestiam comparatus,
Id esse clam sategit, quod videri velle,
Propius abest a virtute.
Ob. XI. Kal. Sextil. an. 1831
Vix. an. 91. M. 10. D. 21
Angela e Baronib. Alexandris
Pro sua, et viri quondam sui
Voluntate

5.

Vincentio Riccae, Anton. fil.
E Baronib. Cappellanotis,
Domo Sparanensi. optum. spei adulescenti,
Cum an. ageret XVIII. ultra diem I.
E vivis sublato
Postrid. non. Martii an. 1843
Maria Theresia Beatrix,
Mater nomine non digna suo,
Filio desideratiss.
Contra. vot. pos.

6.

Memor. aeternae
Salvatoris Neapolitani, Augustini fil.
Pago Quadrellarum.
Vix. an. 66. Mens. 9.
Dum vixit, vitae innocentia,
Morum simpl·citate, sed in primis
Prolixa in egen. voluntate
Praeluxit.
Hinc pauperum desiderio
Suas admiscendo lacrumas

Dominicus, Donatus, Hiacynthus
Parenti optumo pos.
Ob. an. 1840. prid. Id. Iul.

7.

Malorum praemia, morum eversio.

Dum tales scelerum fructus capiuntur in Vrbe,
Quis porro, Cives, audeat esse bonus?

8.

Signaculum, sacrar. reliquiar.
Ramentis coagmentatum,
Sacrum et ipsum esto.

9.

Aliud scribere, aliud transcribere,

Quod tu librorum magna spatiaris in aula,
Turges, teque aliis inde praeire, putas.
Plura hinc transcribes unus, quam scribere plures
Porro queant. Decus hoc nemo tibi invideat.

10.

Ad Guilielmum IV. Regem Borussiae.

Tu Divae Matri priscos indicis honores,
  Quos Lutheri rabies sustulit e medio?
Gratulor hoc tibi, Rex, tibi nec sim vanus ha-
(ruspex,
  Si Domina haec nescit vincier officiis.
Iam nova fata tibi meliori stamine current,
  Stamine, quod manibus neverit ipsa suis.
Tu modo ne cesses, tantum quo denique coeptum,
  Te monstrante viam, perficiatur opus.
Non armis opus hic ullis, non fraude, minisve:
  Exemplo praeeas, caetera crede Deo.
Te proceres primum, populi te deinde sequentur:
  Principis exemplo cuncta subesse, puta.

ANDREAE HEICCHOLZER
RAYM. GVARINIVS S. D.

Qui nomine tuo auspicatissimo apertus est hic rerum oscarum rivulus qualiscunque, nomine eodem claudi, omnino aequum est. Significasti mihi saepius, te optare, ut in Oscorum grammatica id experiamur, quod pro επιγραμματαν *oscorum factum est, quae de osco in latinum idioma transtulimus, addito*

Lexici Osco-latini levidensi tentamine. Nec te latere volo, idem nobis significatum abs viris aliis eruditis bene multis.

Atqui si de parte illa Grammaticae sermo sit, quam συνταξιν *dicere consuevimus, supervacaneum quaeri laborem. Haec enim eadem est, quae Latinorum, ut ex literalibus* τῶν κειμηλιων *oscorum versionibus nostris facile colligere est.*

At si de parte illa intelligatur, quae tota arbitralis est, de nominum puta desinentia, pro casibus variis, verborumque inflexionibus pro diversis ipsorum modis, personis, numeris, temporibusque; id a nobis posci, quod praestare hactenus nullo modo possumus. Quandoquidem ad nomina quod attinet, vix id paucis certo statui potest. Sic nominum desinentium in A generis feminini gignendi casus desinit in ai, *ut* Melissai=Melissaeae; totai =totae. *Accusandi item casus singularis exit in AM, ut* eitiuvam=aediculam. *Pluralis in AS, ut* maimas=salubres.

Pro secunda declinatione finita in VS ut Nuvlanus = Nolanus, *nominandi casus plurativus est in* ui, *ut* Abellanui, Calatui=Abellani, Calatini. *Dativus pluralis exit in* is, *ut* patriis, ocriis, *ad Latinorum normam. Cur non*

idem de casibus caeteris utriusque numeri dicendum? suadet equidem id ἡ ἀναλὸγια, sed destituimur tamen exemplis. De ablativo eiusdem declinationis constat exisse in O, quod oscis V, ut Castrud, actud = castro, actu. *Et accusandi pariter casus singularis in OM, graecorum de more, ut* dolom malom = dolum malum. *Declin.* 3. *nominandi, accusandique casus pluralis in EIS, ut* carneis=carnes. *Pro quarta minime ambigendum, quin genitivus singularis fuerit EIS. Sic* Senateis tanginud= Senatus decreto.

Verborum *adhuc molestior inquisitio. Terminationum primae personae utriusque numeri, et modi cuiuscumque, nullum praesto est exemplum. Pro verbis activis pauca haec certa:*

1. Praet. *ind.* 3. *pers. sing. AD. vel ED.* Eitiuvad = aedificavit. Prufatted, pruffed = probavit, protulit. *Pass. signific. VSET, et ST.* Prufattuset, fefacust=probatum est, factum est.

2. Fut. *act. ET.* Anget = aget, *vel* anget.

3. Subiunc. *praes.* 3. *singul. AT.* Havicat, tadiat = abigat, adeat.

4. Imper. 3. *sing. VD.* Licitud = liceto.

Nec inter operarum festinationem calamo praecipiti plura suppetit memoria. Vale.

Dabam Neap. X. Kal. Dec. an. 1843.

Addenda Lexico nostro Osco-Latino.

Я. A.

ƧIIᐊIꓘЯ. *Aciriis.* Acirius, vel Acilius. Nom.

ƧIVꓘЯ. *Acuis.* Aquius. Nom.

ƧVПᒧЯ. *Alpus. Albus,* vox Sabina. Graece Αλφος. Hinc dictae *Alpes.*

ƧIIИI8Я. *Aphiniis. Aphinius.* Nom.

ЯVИИMЯ. *Amnud. Agno.* Graece αμνος. In agni significationem prodit haec vox in Cippo Osco-Abellano, ubi de sacris agitur terminalibus *agno* faciundis.

MI. MЯ. *Am. Im* = Eam, eum.

ᐊVϟИЯ. *Anxur.* Scaligero rectius est *asur,* quasi ασυρος. = intonsus. Ita dictus *Anxur* ob cultum Iovis imberbis.

MVƧVЯ. *Ausum.* Sic *aurum* dictum Sabinis, unde probabile, dictos *Auselios,* qui deinde *Aurelii.*

ꓘ. C. G. Q.

ƧИƎMƎᒧꓘ. *Clemens.* Nom.

MVИᐊƎTᒧƎПVꓘ. *Cupelternum.* Sic in numo pervetusto Paschalis de Iorio V. C. *Compulteria,* oppidum in Samnio notissimum, facile haud procul ab hodierno *Albiniano.*

Ǝ. E.

IИIꓘVᐊƎ. *Erucini.* Veneris epitheton. Duplex Romae Veneri Erucini templum extitit, teste

Livio (*a*), alterum in Capitolio, ad Portam Collinam alterum. In denario C. Considii Noniani templum cum titulo: ERVC.

IVПRИИƎ. *Emapui.* Quasi ἐνάπυοι. *Succlamantes.*

ИƎ. *En.* In. Praep.

VЯИƎ. *Endu.* Latine *endo = in hoc.* Ex amuleto Dauno.

RИ◁Ǝ. *Erna.* Maris saxa, unde Hernici. *Caverna* igitur Romanorum, quasi *ernarum cavatio.*

8. PH.

ƧIƎ◁8. *Freis.* Metathesis pro *feris*, ἀπὸ τοῦ φέρειν, *ferre.* Particip.

⅃I8. *Fil.* *Filius.* Ex amuleto Dauno.

I. I.

IИV◁I. *Iruni.* Gladiatores, aut munera gladiatoria, ab *ira.*

ƧIƎƆVI. *Iuveis - Iovis.* Casus rectus.

⅃. L.

V⅃. Ex amuleto Dauno, quod Graecis λω, Latinis *volo.*

ƧIƎƆV⅃. *Luveis.* =*lux.*

ƧIƎ◁8ƆV⅃. *Luvfreis.* Vox composita, *Lucifer*, seu *lucem ferens.*

ИИ. M.

IRƧƧI⅃ƎИИ. *Melissai*, ut *aulai.* Melissaeae igitur, non Melissaci, ut incaute olim.

Ƨ◁ƎИИRИИ. *Mamers.* Mars, unde

(*a*) Lib. XXII. XXIII. XXX. et XL.

ƧIꓘᐊƎMꟽꓤMꟽ *Mamercis*. Mamercus, et

ƧИIТᐊƎMꟽꓤMꟽ. *Mamertinus*. Mamertinus.

И. N.

ƧIVMꟽIƧƎИ. *Nesimois*,
et

MꟽVMꟽIƧƎИ. *Nesimum*. Desinentia numerorum ordinalium.

Ƨ. S.

ƧIꓤƧ. *Sais*. Sextus.

ƧIIꓭꓤ⅃Ƨ. *Slabiis*. Labeo a *labiis*.

ƧVꓭMꟽƎ⅃ТƧ. *Stlembus*. Pedibus stlembus Lucilio est equus piger, ac *tardus*. Hinc vernaculum *stumbo*, storpio.

ƧV⅃VꓭVƧ. *Subolus*. Tuscis fuit *Tibicen*. Ex Festo.

Т. T.

ꓷVИIꓘИꓤТ. *Tanginud*. Decretum, sententia ἀπὸ τοῦ τάσσειν. Fortasse propius a *tongitione*, vel *tongione*, quae Praenestinis fuit *notio*, *cognitio*. Ennius: *alii rethorica tongent*. Idest, noscent (*a*).

ꓱ. V.

ꓤIƎꓱ. *Veia*. Oscis non tantum *via*, sed et *plaustri* genus, unde *veiarii stipites* in plaustro. In cippo Osco-Abell. *viuruvium* est a *via*, et *ruo*. Anne *veia* aliud a *via*? (*b*).

ᐊIꓱ. *Vir*. Sic in quadrante unciali. Incertum, an

(*a*) Fest. ap. Ver. Flacc. pag. 484.

(*b*) Paul. ap. Ver. Flacc.

vox integra, vel dimidiata. Sestinius haeret, utrum Osca vox sit, an Vmbra. Atqui Osca sine haesitatione est (*a*). Nihil hic de *Hirpinis* cogitandum, vel *Hirrinis*, aut *Pitulanis*, quod Sestinius, Musarum omnium ingratiis, suspicatur. Probabile admodum, nomen fuisse oppidi alicuius Oscorum eruditis adhuc inauditum.

Ad pag. 48 post v. 24 adde.

5. *Pro* |ИИ, vel |ИИ| = sum, *Oscis videtur etiam usurpatum ipsum Latinorum* sum, *si in Lexico nostro* (*b*) *recte bipartita est vox* ИИVƧ .ƧIƎTЯTИƎ<ƎB, *quam pro una accepit* V. C. *Lanzius. Verbi huius, praeter imper.* ЯVTƧƎ, esto, *comperta sunt tert. sing. indic. praes.* ITƧƎ, est, *et tert. plur. modi eiusd.* |Ƨ|, *vel* |Ƨ|Ǝ, sunt, *quibus adde tert. singularem futuri eiusd. modi* |ƎƧƎ = erit.
6. *In verbis tertiae coniugat.* praeter. *subiunct. pro tert. persona in* ID. *Sic* ЯIꓘЯΠƎΠ = pepigerit.

(*a*) Vid. Vermigl. Lett. ined. 1842. facc. 185. e segg.
(*b*) Pag. 38.

Monitum.

Ad pag. 26. v. 6. exciderat memoria *nomen* viri literati Basileensis, cuius monitu sane opportuno nos profecisse, confessi sumus. Ecce nunc illud obviam quaerentibus venit. I. I. *Bachofeu.*

Err.	*Corr.*
Pag. 47 v. 17. *paucis*	*in paucis.*

SCHOLION.

Osca vocis *Meddix* ἡ διττογραφία.

De affinitate literarum D, et R, adeoque alterius in alteram commutatione, res est vel tironibus comperta. Etiamnum vulgo *Maronna* pro *Madonna*, et alia passim. Idem ab oscis factum ad vocem *Meddix*, quam et *Merris* dixere. An inde Gallorum *le Maire*, quod inter loquendum, ut fit, in mentem venit viro docto, atque amico? Prioris scriptionis exempla vide in Com. nostro XI., ubi et *ὁλογραμματῶς* Ƨ>IЯЯƎИ = *Meddiss* (1). Posterioris autem lectionis exempla confer ibidem (2).

Haec nisi aciem fugissent V. C. Avellinii, sibi procul dubio cavisset ab asserendo, vocem hanc scribi oportere osce per Я = D, numquam per Ͻ = R. Cavisset item vocem ϘИ pro *Mario* interpretari, quod ipse cum quibusdam arbitratur, oscis stetisse cognominis loco. Siquidem vox

---

(1) Pag. 23.

(2) Pag. 9. 20. 24.

haec breviata est *Merris*, ut intelligi datur ex alio titulo (1), in quo *Mr. Aaciriiz.* I esse videtur *Meddix Acirius* (non *Acerranus*, ut perperam alibi) *Velii* idest *Filius*.

Minutulis hisce observantiunculis acuuntur curae, quae in re nova, fereque integra, numquam satis acui possunt. Et si per otium, viresque licebit, plura fortasse horum similia dabimus deincesps, sine dolo malo, alieno, nostrove periculo.

---

(1) Pag. 24. n. 5.